

Ergo in homine quoque nihil ad rem pertinet, quantum aret, quantum foeneret, a quam multis salutetur, quam pretioso incumbat lecto, quam pellucido poculo bibat; sed quam bonus sit. Bonus autem est, si ratio explicita et recta est, et ad naturae voluntatem accommodata. Haec vocatur virtus: hoc est honestum, et unicum hominis bonum.

In quatuor partes Honestum dividi solet: Prudentiam, Justitiam, Fortitudinem, et Temperantiam. Ex singulis autem illis virtutibus certa officiorum genera nascuntur, in quibus colendis sita est vitae honestas omnis, et in negligendis turpitudo. Itaque de unaquaque seorsim agemus, et quatuor libris completemur, quae pertinent ad quatuor illas virtutes.

LIBER SECUNDUS.

DE PRUDENTIA.

CAPUT I.

INEST MENTIBUS INSATIABILIS CUPIDITAS VERO
VIDENDI.

Munus proprium sapientiae et prudentiae est indagatio atque inventio veri. Ut enim quisque maxime perspicit, quid in re quaque verissimum sit, quique acutissime et celerrime potest et videre, et explicare rationem, is prudentissimus et sapientissimus rite haberi solet.

Generi animantium omni est a natura tributum, ut se, vitam corpusque tueatur, declinetque ea, quae nocitura videantur; omniaque, quaecunque ad vivendum sint necessaria, anquirat et paret. — At veri inquisitio atque